

www.e-rara.ch

In Sacrosanctum Daudis Psalterium Commentarii

Musculus, Wolfgang

Basileae, Anno M.D.LXIII. [1563]

Universitätsbibliothek Bern

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-110981>

Psalmus CXLII.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Numeri 25. iussu Domini suspensi sunt in patibulis principes populi, propterea quod populi scortationem non prohibuerant.

Audissent uerba mea, si dulcia fuissent.) Obseruemus hic, unde sit perditio iudicum, magistratuū & principum. Non admittunt eorum uerba, qui redarguunt ipsorum delicta, sed palpo delictantur, & assentatoribus accommodant aures. Hinc non solum corrumpuntur ipsorum animi, sed & iudicia peruertuntur, reprobi in malis corroborantur, & innoxij supprimuntur. Hæc erat corruptio iudicum, quorum hic Propheta meminit. Non audierant recte monentē, quia non dulcia, sed austerā, hoc est moribus ipsorum incommoda proferebat.

OBSER.

Verf. 7.

Sicut qui diuidit ac proscindit terram, sic disp.) Obserua hic non solum, quæ populi Israelis sub Shaule fuerit calamitas, qua boni quique ab impijs sic opprimebantur, ut quasi deuorata ipsorum carne, nuda ossa sparsim ueluti ad foueam sepelienda iacerent: sed & quis fuerit pij Prophetæ erga sic oppressum ac deuorationi obnoxium populum animus, quo factum est, ut in oratione sua, qua suam ipsius necessitatem Domino proponit, & opem illius implorat, publicæ calamitatis obliuisci nequuerit. Apparet illum monuisse iudices, ne patrocinaerentur impiorum studijs & malitiæ, sed innocentes potius defenderent, uerum nihil effecisse. Id peccus ipsius urebat, pro zelo, quo erga populum Dei erat præditus. Sic præparabatur animus futuri pastoris ac regis, quem populo suo afflicto destinauerat Deus, ut quo maiore afflictorum commiseratione exercebatur, hoc illos postea regno inauguratus maiore fide ac benignitate regeret ac pasceret. Admonet hic locus, quales uiros populo suo gubernando destinet Deus, ubi rebus afflictis succurrere statuit.

OBSER.

Verf. 8.

Quoniam ad te Domine, here mi, sunt oculi mei.) Obserua quod non dicit, Quoniam iustus sum Domine, ne effundas animam meam: sed, Quoniam ad te Domine, here mi, sunt oculi mei, in te spero, ne effundas animam meam. Spei suæ magis quam iustitiæ rationem à Domino haberi confidit. Habet quidem iustitiæ respectum Deus, & innocentiae patrocinaeretur: uerum iusti & pij homines magis fidei, spei ac fiduciæ suæ, quam iustitiæ fulcris in conspectu illius nituntur: hoc est, magis ad bonitatem Dei, qua sperantes in se non deserit, quam ad propriam respiciunt innocentiam. Etenim quid aliud est, cum dicit, In te spero, ne effundas animam meam: quam, Hoc mihi de bonitate ac fide tua polliceor, quod sis uitæ meæ rationem habiturus.

OBSER.

Verf. 9.

Custodi me à laqueo.) Quid in hoc uersu obseruari possit, uide psalmo præcedenti, uersib. 4. & 5. Incidant in retia sua impij simul.) Recurrat lector ad psalmum 7. & uideat uersus 15. & 16.

OBSER.

Verf. 10.

PSALMVS CXLII

Intellectus Dauidis, cum esset in spelunca, oratio.

Potest hæc epigrapha sic ordinari: Intelligentis Dauidis, cum esset in spelunca, oratio. Vel, Intellectus Dauidis, cum esset in spelunca, & oraret.

Argumentum psalmi.

Ex historia, ad quam respicit epigrapha, quæ 1. Sam. 24. legitur, satis perspicuum est huius psalmi argumentum. Ad hoc est à Propheta compositus, ut & animi sui angustiam & orationem, quam in spelunca constitutus, ad Deum fuderat, & sibi ipsi memorie, & pijs reliquis alendæ ad Deum fidei gratia exprimeret.

- 1 oce mea ad Dominum clamabam, uoce mea ad Dominum deprecabar.
- 2 Effundebam in conspectu eius orationem meam, angustiam meam coram illo aperiēbam.
- 3 Cum perplexus esset in me spiritus meus: & tu nosti semitam meam, in semita hac qua ambulauī, absconderunt laqueum mihi.
- 4 Respice ad dexteram & uide, non est qui me agnoscat: periit fuga à me, non est qui requirat animam meam.
- 5 Clamabo ad te Domine, dico, Tu es spes mea, portio mea in terra uiuentiū.
- 6 Attende ad clamorem meum, quoniam attenuatus sum ualde: libera me à persequentibus me, quoniam præualent mihi.
- 7 Educ è carcere animam meam, ad celebrandum nomē tuum: cingent me iusti, cum rependeris mihi.

LECTIO. Absconderunt laqueum mihi.) Græc. & Vulg. lat. legunt, Absconderunt superbi laqueum mihi. sed, Superbi, in Ebræo non est.

Verf. 3.

Respice ad dexteram, & uide.) Ebraicè, חִבֵּית יְמִינִי וְרָאָה. Græcus & Vulgata latina, Considerabam ad dexteram, & uidebam. Pag. Dum aspicio ad dexteram, & uideo. Camp. Respiciēbā nunc

A nunc in partem dexteram, nunc in partem sinistram. Kimhi Ebr. dicit hæc uerba תָּרֵץ וְיָמִין, per modum infinitiuium, & non imperatiuium esse posita, ut sit legendum: Respiciendo me ad dexteram, & uidendo ad sinistram. Verum manifestum est, non esse positum תָּרֵץ: id est, respiciendo me: sed simpliciter per imperandi modum, תָּרֵץ: id est, respice. וְיָמִין: id est, & uide. Cingent me iusti.) Ebr. יְדֵי יוֹשְׁטִים. Græca & Vulgata lat. Me expectant iusti. Chald. Ob gratiam mei facient tibi coronam laudis iusti. Hieron. In me coronabuntur iusti. Pag. Propter me coronabunt se iusti. Camp. Tum ad me current, & in modum coronæ cingent me iusti. Felix, Me circundabunt iusti.

Vers. ult.

Voce mea ad Dominum clamabam.) Bimembris est hic psalmus. Primis duobus uersib. & principio tertij, quid in angustia constitutus fecerit, paucis commemorat: reliquis ad finem usque psalmi, orationem ponit, quam ad Dominum effuderat. Voce mea inquit, ad Dominum clamabam. Q. d. Dum essem in spelunca, & cernerem in eum locum Shaulem cum exercitu ad ipsum usque latibulum meum appropinquare, nec uspiam ullus superesset effugij locus, quid faciebam? Ad Dominum cōuersus clamabam, deprecabar, orabam, illique cordis mei angustiam aperiēbam. Illud, Cum perplexus esset in me spiritus meus: ad hoc est positum, ut animi angustia declaratur, qua in eo discrimine Propheta arctabatur. De hac loquutione uide supra psal. 77. uersu 3.

EXPLA-
NATIO.

Vers. 1. 2. & 3.

Et tu nosti semitam meam.) Orditur alterum huius psalmi membrum, orationem uidelicet, quam in angustijs suis ad Dominum effudit. Et tu Domine, inquit, nosti semitam meam. Quasi dicat: Et tibi Domine notum est exilium meum, notæ semitæ meæ, quibus & quā desertis usus sum, ut inimicorum meorum insidias effugerem. Talibus uidelicet, quæ non hominum, sed pecudum & bestiarum usu teruntur. At quantumuis me in hæc solitudines abdiderim, nihilo tamen minus à reprobis sum hominibus proditus, id quod ex eo palam liquet, quod in hac semita mea, in qua miser & exul ambulaui iam aliquandiu, laqueum mihi absconderūt, hoc est, insidias mihi struxerunt.

Vers. 4.

Respice ad dexteram, & uide.) Hoc est, Vide quā sim desertus ab omnibus notis & amicis. Nemo dexteram meam cingit, opitulandi uidelicet gratia: nemo est, qui me in hisce periculis agnoscat, nec est uspiā euadendi copia, non uideo quō effugere possim, nemo præstō est, qui uitæ meæ rationem ac curam gerat. Haud quidem solus erat in spelunca (nam exilij sui socios secum habebat.) Verum ex omni Israele nemo eorum, qui expertes erant ipsius exilij, causam ac uitam ipsius tutabatur.

Vers. 5. 6. & 7.

B Clamo ad te Domine.) Hactenus in quo discrimine uersaretur, ad Dominum orando conquestus est: iam subiicit petitionem. Et primum hoc uersu rationem reddit, quare ad Dominum clamarit. Clamo ad te Domine, inquit, tu es spes mea, &c. Quasi dicat: In hoc discrimine constitutus, ad te Domine uociferor. Etenim tu es mihi spes unica, tu es in hac uita unica mea portio. Nec pendeo à quoquam, nisi à te uno: nec quisquam præterea est, qui salutis meæ rationem gerat. Ad te igitur unicè clamo.

Attende ad clamorem meum, quoniam attenuatus sum ualde.) Petit ut exaudiatur. Cōmiserationis excitandæ gratia addit, Quoniam attenuatus sum ualde. Q. d. Protrita sunt uires meæ uehementer, nec uideo quomodo manus persequentium me euadam. Tu igitur libera me. Nā præ ualent mihi, & robore, & insidijs, & rerum successu.

Educ e carcere animam meam.) Carceris dictione præsens discrimen speluncæ, quo tenebatur, intelligit. Ab illo liberari, hoc est, in securam aliquam latitudinem educi petit. Cur id potissimum petat, adiicit, dicens: Ad celebrandum nomen tuū. Hæc erat una causa. Addit, Cingent me iusti, cum rependeris mihi. Hæc erat altera causa, ad quā prospiciebat. Quasi dicat: Cum innocentia meæ rependeris, & me ex hisce malis liberaueris, complectentur me iusti, ac pij gratulabuntur liberato, gaudebunt & exaltabunt, agnoscent bonitatem tuam in me mirandis modis declaratam.

Voce mea ad Dominum clamabam.) Obseruemus in hac narratione exemplum animi angustiatum in homine pio, quomodo se coram Deo gerat. Primum uersu tertio dicit: Cum perplexus esset in me spiritus meus. Ergo spiritus sanctorum non habent Stoicam securitatem, ubi rebus tristibus & periculosis obruuntur, sed intrantur, perplexi redduntur, & angustia ac metu ueluti fluctibus quibusdam inuoluuntur. Hæc sanctorum infirmitas quotiescunque in scripturis occurrit, ad consolationem imbecillum diligenter est obseruanda. Deinde in huiusmodi angustia constitutus, quid fecit? Voce mea, inquit, ad Dominum clamabam, &c. Primum clamauit, & orando, deprecando, animique sui angustiam aperiendo, auxilium quaesuit. Deinde ad quem clamauit: ad cuius auxilium confugit? Ad Dominum, inquit, idque secundo. In conspectu eius, inquit: & id secundo. Admonemur ergo, patientiam sanctorum non esse talem, ut in angustijs constituti taciti sustineant, & ferant quicquid accidat: sed quam uis sint patientes, nihilo tamen minus querere eos auxilium, quo à malis prementibus liberentur. Deinde querere eos auxilium non aliunde, quā ab eo, à quo toti pendent, in quē credunt, in quo sperant, quem solum adorant, hoc est, à Domino Deo suo. Tertio, ad hunc eos

OBSER.

Vers. 1. & 2.

& principio
tertij.

DDD

non

non obiter, non frigide, sed ex corde, ardentem & indefinenter orare, uociferari, deprecari, & animi sui angustiam aperire, & in conspectu eius effundere. Quale est ergo hoc fidelium genus, qui in tribulationibus constituti, non ad Deum, sed ad mortuos sanctos confugiunt: illos implorant, & ad illos uota faciunt?

OBSER. *Et tu nosti semitam meam, in semita hac, &c.)* Obseruemus quomodo particulam hanc Prophetam tanquam de re admodum miserabili, mox initio orationis suae protulerit. Cesserat relictis ciuitatibus & habitationibus hominum in solitudinem, terebatque semitas ferarum ac bestiarum, quod uitae genus admodum erat miserabile. Verum id miserabilius adhuc erat, quod ne sic quidem ab insidijs reproborum tutus esse poterat. Eam rem Domino miserabiliter conqueritur, dicens: Tu Domine nosti semitam meam: in semita hac, qua ambulauimus, absconderunt laqueum mihi. Hoc exemplo solentur se, quibus per improbitatem malorum hominum idem accidit: discantque & ipsi clamare ad Dominum, ac dicere, Tu Domine nosti paupertatem meam, quae mihi amissis ferè omnibus adhuc reliqua erat. Et illam mihi auferre conantur. Nosti Domine animam meam hanc tristem ac deiectam, & illi insidiantur, ut auferant eam. Nosti Domine patientiam, ac silentium meum. Ne tacendo quidem & cuncta patienter ferendo, tutus esse possum. Huiusmodi innumera usuueniunt pijs hominibus in hoc seculo, propter insatiabilem impiorum maliciam: quibus satis non est, quod miseros reddunt homines pios, nisi eos prorsus extinguant.

OBSER. *Respice ad dexteram, & uide.)* Obserua hic extremi periculi descriptionem. Tres sunt modi communes, & usitati inter homines, quibus, qui in periculum incidit, humanitas liberari poterit. Primus est, si queat per se ipse hostilem impetum auertere. Secundus est, si quod ipse efficere non potest, efficiat aliorum ope & auxilio. Tertius est, si quod nec suis, nec aliorum uiribus potest, fuga saltem obtineat. Vbi uerò nihil horum fieri potest, non uidet humana ratio aliud, quam extremum adesse exitium, nisi coeleste ac diuinum accesserit auxiliū. Ista expertus est Dauid. Per se non poterat auertere hostem: erat enim impar ad resistendum. Sic infra uersu sexto dicit: Quoniam praeualent mihi. Deinde destitutus erat humano auxilio. Sic dicit: Respice ad dexteram, & uide, non est qui me agnoscat, non est qui requirat animam meam. Tertio, non patebat ullus fugae locus. Perijt, inquit, fuga à me. Erat ergo in extremum periculum coiectus. Cogitemus itaque, quo consilio Deus in huiusmodi discrimina suos incidere sinat, ut & suis & aliorum uiribus destituti, nusquam elabi queant: hoc uidelicet, ut non solum ad se ardentius clament, sed & re ipsa liberati experiantur, non esse se, nisi ipsius auxilio ereptos.

OBSER. *Clamo ad te Domine, dico, Tu es spes mea, portio mea, &c.)* Obseruemus hoc loco primū, quid ad hoc requiratur, ut in tribulationibus & extremis etiam periculis constituti, ad Dominum clamemus. Clamo ad te Domine, inquit, dico, Tu es spes mea. Ergo spes illa, quam in Dominum collocauerat, ad hoc eum permouebat, ut ad Dominum clamaret. Clamorem extorquet necessitas & angustia, clamorem ad Dominum parit spes & fiducia in Dominum collocata. Deinde notandum est, quod dicit: Portio mea in terra uiuentium. De eo quod Dominum portionem suam uocat, quid sit notandum, uide supra psal. 16. uersu 5. & psalmo septuagesimo tertio, uersu 25. & 26. Illud hic obseruemus, qui nam illi sint, qui uerè Dominum spem suam uocare queant: illi uidelicet, qui uerè illum portionem suam uocare possunt. Qui aliam extra illam portionem corde complectuntur, ut nunquam uerè dicere possunt, Tu es Domine portio mea: ita nunquam dicturi sunt uerè & ex animo, Tu es Domine spes mea. Non enim possunt ista diuelli à se inuicem. Vbi portio nostra est, ibi est & spes nostra. Notemus autem, quod non simpliciter dicit, Portio mea: sed addit, In terra uiuentium. Reperias qui facile induceretur, ut in futura uita portionem nullam complecteretur aliam, quam Dominum: uerum qui in praesenti hac uita corde prorsus ab omnibus creaturis auulso, à solo Domino pendeant, illumque solum portionem suam constituent, non ita multi reperiuntur. Quapropter in hac praesenti uita Dominum habere portionem suam, clarissimum est hominis uerè pij argumentum.

OBSER. *Attende ad clamorem meum, quoniam attenuatus sum ualde.)* Obseruemus duobus hisce postremis uersibus, quibus rationibus clamorem suum Propheta exaudiri, seque à persecutoribus liberari petat. Quoniam, inquit, attenuatus sum ualde. Deinde, Quoniam praeualent mihi. Tertio, Ad celebrandum, inquit, nomen tuum: Et, Cingent me iusti. Haec est sanctorum circumspectio. Quamuis spiritus Prophetæ angustia circumuolutus ac perplexus esset, haud tamen sic obstupuit, quin animi cogitationem in eas res dirigeret, unde fiduciam impetrandi auxilij aleret & confirmaret. Suam infirmitatem, hostium potentiam, diuini nominis gloriam, iustorum gaudium & exultationem secum in corde reputauit, & rationū uice Domino Deo proposuit. Sūt itaque ista talia, ut dubitare non debeamus habere Deum illorum rationem: hoc est, non posse Deum salutem periclitatum, qui potentiorum se impetu adobruuntur, nominis sui gloriam, & iustorum consolationem ac recreationem negligere.